

justam, ac rationabilem; sed postea Pœnitens ipse factus est impotens ad sie satisfaciendum. Q. an per interpretationem valeat hic sibi eam à semetipso relaxare.

Respondeo affirmative cum Puteobonello de Pœnit. quæst. 4. art. 5. num. 9. Giribaldo eod. tract. cap. 12. dub. 12. & aliis passim; si Pœnitens sit sufficienti scientia instructus, caveatque ne sibi nimium indulgeat. Ratio est, quia interpretatio non est actus jurisdictionis, seu potestatis Sacerdotalis; sed est actus prudentiae, ac scientiae, quæ dignoscitur, an in casu adsit vera isthæc impotentia ad satisfaciendum: Ergo si hujusmodi scientia, ac prudentia reperiatur, quantum sufficit, in Pœnitente, ac ipse semetipsum revera cognoscat impotentem ad satisfaciendum, vel in totum, vel in partem (ut evenire potest quando poenitentia est in partes divisibilis) tunc per interpretationem potest eam sibi relaxare proportionate ad impotentiam, hoc est, declarare, se ad eam non teneri: quamvis consultius sit adire alium prudentem, ac doctum Confessarium pro tali effectu.

CAS. III. Puella plena cum deliberatione consensit in mentale carnale commercium cum Amasio. Q. an debeat exprimere in Confessione quod ipsa est Virgo.

Respondeo affirm. cum Navarro, Azorio, aliisque communius. Ratio est, quia etsi hujusmodi actus, quo consensit in mentale carnale stuprum cum Amasio fuerit merus actus internus; tamen per ipsum habuit pro objecto ipsum stuprum carnale cum tali persona, cum quo propterea est ejusdem speciei. Neque dicas, istud peccatum non esse speciale peccatum luxuriæ, nisi quando revera defloratur, ac corruptitur virgo; id enim est verum, si agatur de stupro reali, ac de requisito ex. gr. ad incurrendam reservacionem, ubi stuprum est reservatum; non tamen si agatur de pure mentali, ut patet etiam in desiderio adulterandi, cuius species debet exprimi, etiam si quis tantum concupiverit uxorem alterius.

M E N S E O C T O B R I S.

CAS. I. Pœnitens, jam lucratus Jubilæum in prima hebdomada, repetit opera præscripta etiam in secunda, & in hac absolvitur à casu Pontificio, in quem relapsus est. Q. an valide.

Respondeo probilius esse, quod non. Ratio est, quia facultas eligendi Confessarium, à quo quis possit absolvî à reservatis, concessa ad effectum consequendi Jubilæum quindecim dierum, non est concessa pro utraque, sed tantum in una, vel altera hebdomada disjunctive; ut patet ex verbis Bullæ, & ut declaravit Sacra Congregatio mense Maii 1620. teste Fillucio tom. 1. tract. 8. num. 201. de cuius declarationis authenticitate immerito non nulli dubitant; cum Fillucius eo tunc esset Romæ Pœnitentiarius, & ob tale decretum recesserit ab opinione contraria, quam prius docuerat; quod plane non fecisset, si ipsi non innotuisset authenticitas talis decreti. Hinc fel. rec. Benedictus Papa XIV. in Epist. Circul. pro Jubilæo Anni Sancti 1750. reflectens num. 84. quod non ageretur de Jubilæo duarum hebdomadarum, sed integri anni, declaravit, quod in eo posset quidem, sæpius ire-

ran-

rando opera injuncta, sæpius etiam acquiri *Indulgentia*; non sic tamen quis absolvî à Censuris de novo incursis, & casibus reservatis de novo commissis &c. Ergo à fortiori nec Pœnitens in casu nostro. Polonus in Urb. VIII. sect. 41. num. 3. Amort de Pœnit. disp. 7. quæst. 3. quæstiuncula 63. aliique.

CAS. II. Sergius Confessarius, jamdiu solitus confiteri Sempronio, quadam die ipse exceptit Confessionem ejusdem, ex qua cognovit, ipsum nec esse Sacerdotem; unde penes illum deinceps amplius confessus non est. Q. an per hanc abstinentiam à Confessione illi facienda, fregerit sigillum Sacramentale.

Respondeo in toto rigore Sergium non fregisse sigillum Sacramentale. Ratio est, quia per hoc, quod penes illum deinceps amplius confessus non sit, nil revelavit de crimine ipsius Sempronii, cum innumere possint esse causæ mutandi Confessarium. Quamquam vero in casu non intervenierit fractio sigilli, dicunt nihilominus de Lugo, Viva, aliisque communius, apud de Ligorio de Pœnit. cap. 2. dub. 1. num. 660. quod intervenerit quædam odiosa exprobratio Pœnitenti, ob quam propterea subdunt, Sergium teneri adhuc penes ipsum confiteri, illi manifestando aliquod peccatum sine intentione Absolutionis. Verum hoc mihi non placet, quia esset simulatio Sacramenti, quæ ut pote mala ab instrinseco, neque in hoc casu licita est. Hinc censeo cum Sanchez de Matrim. lib. 3. disp. 16. num. 5. Sergium in casu non teneri amplius illi confiteri; immo mihi videretur, quod neque id facere possit, ut evitet simulationem Sacramenti; nam, ut dictum est, per hoc, quod ad ipsum amplius non accedat, non intervenit fractio sigilli, nec proprie odiosa exprobratio, cum Confessio sit libera.

CAS. III. Sacerdos ruralis quodam mane existens in peccato mortali, nec habens copiam Confessarii, præmisso Contritionis actu celebrat, ac deinde absolvit Sociam in peccato turpi contra sextum, existentem in mortis articulo, eo quod alias simplex Sacerdos, solus existens in loco ultra ipsum, vocatus se excusavit, dicens, non habere potestatem excipiendi Confessiones, & absolvendi. Q. primo, quæ requirantur, ut licite quis celebrare possit in allato casu, non præmissa Confessione. Secundo, quanta loci, distantia esse debeat inter Pœnitentem & Confessarium, ut primus vere dicatur non habere copiam Confessarii. Tertio, an valide, ac licite in præfato casu Sacerdos complex absolvat Sociam in peccato turpi.

Resp. quoad primum, requiri tum Confessarii absentiam, cum eriam quod hic nequeat absque gravi incommodo conveniri; item quod adsit urgens motivum celebrandi, ac eliciatur actus Contritionis; si enim vel adest, vel commode Confessarius conveniri potest, tunc urget præceptum prius expiandi propriam Conscientiam, nendum latum à Tridentino, verum etiam ab Apostolo per illa verba: *Probet autem se ipsum homo &c.* Similiter debet simul concurrere urgens morivum celebrandi, eo quia si non concurrit tale motivum, nulla est necessitas, quod Sacerdos celebret, & sic debet à celebratione desistere ob reverentiam Sacramenti, & ut observet dictum præceptum. Debet denique elicere actum Contritionis, quia hic eliciendus est in Confessionis subsidium. Quantum ad secundum

dum dico, non posse quoad hoc generalem regulam assignati, cum pendat à circumstantiis illius, qui debet celebrare; neconon à qualitate temporis, viarum &c. major namque distantia requiritur pro Sacerdote juvēne, & robusto, ac pro sene, aut debili: huic enim fieri potest, quod sit gravi incommode facere unum milliarium, non sic primo duo, vel tria millaria. Quare tanta debet intercedere distantia, ut, atten-
tis prædictis circumstantiis, & qualitatibus, in prudenti hominum existimatione iter sit celebraturo notabiliter incommodum respective. Ad tertium respondeo cum distinctione: Vel pro absolutione hujusmodi Pœnitentis potest haberi sub alio prætextu ille simplex Sacerdos, qui semper ipsum excusavit, aut alius; vel non. Si non; dico, valide ac licite Sacerdotem complicem in talibus circumstantiis eam absolvere, quia tunc vere eamdem absolvit in casu extremae necessitatis, ac deficiente quo-
cumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit, cum in hoc rerum statu perinde sit, ac si nullus alias adasset Sacerdos præter ipsum; cui proinde eo tunc non prohibetur absolvere complicem, ut patet ex Constitutione Apostolici munera, edita a Behesto XIV. die 8. Februarii 1745. Si vero pro Absolutione talis Pœnitentis potest haberi sub alio prætextu ille simplex Sacerdos &c. puta, sub prætextu aliquid disponendi pro anima sua; vel alius, quem Pœnitens absque periculo se graver infamandi, aliisque malam sui suspicionem ingerendi, possit elige-
re; tunc dico, quod si complex Sacerdos, hujusce rei conscius, non monuit Pœnitentem se in hoc rerum statu non posse ipsam absolvere, proindeque alium Sacerdotem esse advocandum, & ex industria neglexit adhibere media congrua, ut aliis de facto advocaretur; valide quidem eam absolvit, si ipsa erat rite disposita ad Pœnitentia Sacramentum, cum Pontifex expresse ibidem dicat, se non intendere pro formidando mortis articulo eidem Sacerdoti, quantumvis indigno, necessariam jurisdictionem lauferet, ne hac ipsa occasione aliquis pereat; eam tamen absolvit illicite, ac, propter ausum, in majorem Excommunicationem Summo Pontifici reservatam incurrit; ut constat ex Constitutione supra relata. Ceterum, in hoc casu, quo aliunde Sacerdos advocari nequeat, hæc industria adhiberi debet, ut præfato prætextu advocetur simplex Sacerdos, qui semper ipsum prius excusavit, eique à Pœnitente declaretur sub sigillo Confessionis, quod ab altero Sacerdote, utpote complice, ipsa absvolvi non potest; proindeque quod ipse in eo statu ejusdem Confessionem excipiat; ea enim declaratio tamquam ordinata ad Confessionem, per se ex sua natura pariet in audiente obligationem sigilli sacramentalis, sicut aliæ scripturæ, vel locutiones ordinatae ad Confessionem. Neque hoc mirum videri debet, quod persona motibunda ante actualem Confessionem teneatur manifestare suum crimen Sacerdoti Simplici, cum hic sit unicus, qui in casu potest ipsam absolvere, & cui quodammodo crimen, cum Sacerdote complice commissum, in ea circumstantia est reservatum, ut inquit P. Eusebius Amor de Pœnit. dis. 12. §. 2. quæst. 8.

MEN-

M E N S E N O V E M B R I S

CAS. I. **P**ro Enenti obligato ad restituendum Confessarius denegat Absolutionem, eo quod ille respondet, se prius velle consulere peritores, ac postmodum se id facturum, ad quod tenetur. Q. an juste huic negetur Absolutio.

Resp. cum distinctione. Vel obligatio restituendi, quam Pœnitens in casu dicitur habere, est omnino certa, ac prius potuit peritores consulere, vel non. Si primum, dico, Confessarium jure ei negare Absolutionem. Ratio est, quia rebus sic stantibus potest Confessarius rationabiliter suspicari, quod Pœnitens ideo ita loquatur, quia non est vere paratus ad restituendum; cum enim antea potuerit consulere peritores, idque facere omiserit, purus prætextus rationabiliter hic credi potest, ut à Confessario carpat Absolutionem, quam proinde jure illi negat. Si secundum, oppositum assero: nam semel ac restitutionis obligatio non est omnino certa, aut revera non potuit &c. jus habet consulendi peritores, cessat prefata suspicionis motivum, ideoque nos absque injuria ipsi negatur Absolutio, eo quod dicat, se velle consulere peritores, ac postmodum id se facturum, ad quod ipse tenetur.

CAS. II. Facta cuidam Pœnitenti satisfactionis commutatione, hic primam persolvit. Q. an licite.

Resp. affirm. cum Suarez, Bonacina, & aliis comm. Ratio est, quia cum commutatio sit in favorem Pœnitentis, vere hic potest cedere iuri suo, vel eo uti pro libito, & sic ipsi liberum remanet, primam, aut secundam satisfactionem executioni mandare.

CAS. III. Sacerdos in mortali existens baptizat parvulum vix natum, ac morti proximum, non præmisso actu Contritionis. Q. an committat sacrilegium.

Resp. neg. cum Giribaldo de Sacram. in Gen. cap. 50 dub. 4. num. 21. si necessitas urgeat puerum baptizandi, ac Sacerdotis tempus non suppetat elicendi actum Contritionis. Ratio est, sibquia necessitas procurandæ infanti æternæ salutis præponderat apprehensæ irreverentiae Sacramenti, quin immo cum Sacraenta sint instituta in salutem animalium, nulla in casu irrogatur irreverentia Sacramento, ob hujus administrationem non præmisso Contritionis actu, cum, ob defectum temporis ad ipsum elicendum, ejusdem in tali circumstantia elicendi non adsit præceptum: ob quam rationem nec peccat is, qui existens in peccato, & non habens tempus elicendi actum Contritionis, consumit hostiam consecratam, ne ab ingruentibus haereticis contempnatur.

M E N S E D E C E M B R I S.

CAS. I. **P**roochus in Diœcesi venit ad Urbem quavis hebdomada, raro tamen pernoctat extra Parœciam. Q. an graviter violet obligationem residentiae.

Resp. cum distincti. Vt talis Parochus plures id facit intra hebdomadam, &

& quidem per totam , aut fere integrum diem : vel id facit semel tantum ; aut , si pluries , ad breve , ac modicum tempus præcise. Si pri-
mum , dico , ipsum graviter violare obligationem residentiæ , quamvis substitutum in Parochia relinquat suæ absentiæ tempore. Ratio est , quia sic deest personali regimini suorum Parochianorum per tempus anni no-
table ; ad quod regimen cæteroquin tenetur sub gravi , nedum jure Ec-
clesiastico , verum etiam Divino ; ut colligitur partim ex cap. extirpan-
dæ , §. qui vero de Præben. partim ex Tridentino sess. 23. de ref. cap. 1. Prop-
terea , id Parocho non licere , quamvis nocturno tempore resideat penes suam Ecclesiam , & in hac celebret summo mane , declaravit S. Con-
gregatio Conc. die 10. Mäii 1681. Si secundum , dico , ipsum gravi-
ter non violare obligationem residentiæ. Ratio est , quia ille interpolatus
dierum , vel horarum numerus non facit in toto anno absentiam
duorum mensium , per quod temporis spatium potest Parochus ex causa ,
quæ ipsi æqua videatur , ac substituto sibi idoneo , saltem per dies singulatim interpolatos , absque mortali peccato abesse , ut eruitur ex Tridentino l. c. Dico saltem per dies singulatim interpolatos , ob Notificatio-
nem 17. olim Eminentissimi Archiepiscopi , dein Papæ Nostri Sanctissimi Benedicti XIV. quam hic adamussim observari à novo Eminentissimo Ar-
chiepiscopo , ac Principe , preceptum est.

CAS. II. Obligatus quotidie celebrare ad mentem Testatoris , recepit ele-
mosynam , ac Missam applicavit ad mentem alterius tum feria V. in Cœ-
na Domini , cum in die omnium Defunctorum. Q. an licite.

Resp. quamvis improbare non audeam sententiam Dianæ absolute affirmantis part. 1. tract. 4. resol. 86. probabilior tamen mihi videtur opinio Fraxinelli sect. 4. concl. 4. aliorumque negantium id licite factum à Capellano in casu. Ratio est , quia licet hic revera potuisse feria V. in Cœna Domini desistere à celebratione , & Communionem sumere cum Clero , item in die omnium Defunctorum non celebrare ad mentem Testatoris , sed Missam applicare pro defunctis in communi , ut respondit S. Rituum Congregatio die 4. Augusti 1665. tamen semel ac resolvit celebrare prædicta feria quinta ob ipsi occurrentem opportunam oc-
casionem , tunc licite id peragit ; & vice versa non celebrare pro De-
functis in communi , in die omnium fidelium Defunctorum ; sed pro aliquo in particulari , statim occurrit obligatio Missæ quotidiane pro Testatore utpote prior in tempore , & quidem urgens ex justitia , ratione oneris assumpti ad celebrandum pro ipso , seu conformiter ad mente in ipsis ; negari enim non potest , quod obligatio cum ipso contracta , sit de celebrando ad ipsius mentem quotidie : ergo etiam tali die , semel ac iste celebrat , vel pro aliquo in particulari : eo plane modo , quo li-
cet obligatus ad celebrandum quotidie , possit quandoque abstinere à ce-
lebratione causa honestatis , vel alterius virtutis , tamen non per hoc
potest eo tunc accipere ab alio eleemosynam , & pro eo celebrare , quia tunc non esset devotio , humilitas , vel alia virtus , quæ ipsum induceret ad non celebrandum pro onore quotidiano ; bene vero esset avari-
gia , quæ ipsum potius induceret ad accipendum aliud stipendium ; &

sic ad recipienda duo stipendia pro eadem Missa , quod reprobatum est per S. Congregationis Decreta. Quemadmodum ergo in hoc casu si Sa-
cerdos celebret , celebrare tenetur pro onore quotidiano , quamvis absolute posset à celebrando desistere ; ita idem quoque dicendum de Capellano quoad Missam sive feriæ quintæ in Cœna Domini , sive diei omnium fide-
lium Defunctorum. Vide Giribaldum de Sacrif. Miss. cap. 4. dub. 5. num.
22. & seqq.

CAS. III. Dominus directus cujusdam fundi , ab ipso dati in Empiteu-
sim , donavit illum causa mortis quoad proprietatem uni , quoad usumfruc-
tum alteri. Q. cui ex his debeatur Laudemium.

Resp. quoad hoc standum esse praxi , aut consuetudini locorum ; hæc enim vim legis habet , estque optima legum interpres. Hinc licet communior ea opinio videatur , quæ docet , Laudemium in casu deberi Usufructua-
rio , quia est quidam usus , ac fructus proprietatis , qui ut patet , ad Usu-
fructuarium spectat , tamen appareat æquitati ac praxi conformius , quod de-
beatur Domino directo habenti proprietatem : tum quia Laudemium quasi
dicitur à laude & obsequio Domini , cui proinde solvendum videtur , que-
madmodum ei solvitur annualis pensio in recognitionem dominii directi;
tum quia illi debetur Laudemium , ad quem spectat facere investitram , &
immittere in possessionem ; quod sane non ad Usufructuarium , sed ad
Dominum proprietatis , adeoque ad Dominum directum spectat : Accedit ,
proxim huic secundæ sententiae videri favorabiliorem : ergo potius Domi-
no directo debetur ; ut inter alios docet Rosignolus de Emphyt. prænot. 4.
num. 13. contra Bonacinam , Giribaldum & alios.